

⊕ ⊕ NECROLOGIA ⊕ ⊕

† A. R. P. Ioannes Patricius Martin (1904-1955)

(Vice-Prov. de Edmonton)

Ipsa festo S. Gerardi versus horam 5 cum dimidia p. m. Rector domus Grande Prairie, Alberta, subiit infortunium autorhaedarium tale, ut quarto die post e vivis sublatus sit in annorum suorum vigore.

Ioannes Martin natus erat in Scotia, in loco Philipston, 3 Iul. 1904. A. 1909 familia ad Status Foederatos emigravit indeque post biennium in Canadensem terram Saskatchewan, in metropolim ecclesiasticam Regina. Ibi puer invenit suam Redemptoristae vocationem. Sui iuvenatus primum annum in Brandon, Manitoba, transegit, duos sequentes in Kirkwood, Missouri, U.S.A., reliquos in recens fundato collegio S. Mariae in Brockville, Ontario, ubi adhuc Provinciae Torontinae Seminarium minus est.

Tirocinio in urbe S. Ioannis (*St. John*), New Brunswick, transacto ac votis festo S. Alfonsi 1924 emissis, per quinque annos suam ulteriore formationem recepit in studentatu Esopus ibique 16 Iun. 1929 presbyteratus indeleibilem characterem. Ultimum annum in novo suaे Provinciae studentatu vixit, qui primum Marionopoli (*Montreal*) fuit, donec a. 1930 in Woodstock transferretur. Verum in Catalogo huius anni P. Martin iam Quebeci est inter alumnos P. Iacobii McCandlish, scil. inter secundos novitios.

Secundo novitiatu absoluto P. Martin per aliquod tempus Quebeci remansit, occupatus in opera parociali. Tum ex anglici idiomatic residentia Yorktonensi, S. Gerardo sacra, per tres annos foris stationes missionales evangelizabat. Tum in nova fundatione Dawson Creek, British Columbia, Kalendis Decembribus 1936 incepta, fuit primus Superior et parochus. In eadem provincia British Columbia dein per sex annos laborabat in nostra paroecia Vancouver et per quinque annos qua Rector et parochus in Nelson. Eadem officia ei

---

(5) Cf. *Inter nos* (Amsterdam), 1955, N. 7, p. 71. et epist. Pl. R. P. Visitatoris Lévesque, 11.7.55, ad Moderatorem.

a. 1950 in Grande Prairie, Alberta, commissa sunt, et ibi, ut supra dictum est, tragicae suae mortis causam invenit.

Vertens in publica via ante scholam catholicam suum autocurrum, in quo etiam R. P. Cain et Fr. Eugenius sedebant, excepit fere rectangularem agressionem magni vehiculi onerarii, vulgo *truck*, et dum duo comites nil mali sentiunt, ipse, graviter percusus, incidit in statum semiconscium; quapropter statim conductus est ad nosocomium loci ibique Olio Sancto inunctus. Postridie iuxta medicorum consilium velivolum militare eum una cum suo Ministro R. P. T. P. Murphy itinere aëreo fere 300 milliarium in maiorem civitatem Edmonton transportavit. Ibi mox P. Vice-Provincialis G. Ehman aliquie sodales communitatis eum visitarunt. Plerumque non habebat sui conscientiam, sed quandoque adstantes cognoscebat et ad quae sita respondebat.

Medicorum ars omnia tentavit, sed frustra. Sic aliud non relinquebatur nisi cum eo et pro eo orare, et ita inter orationes confratrum et Sororum d. 20 Octobris h. 2,20 p. m. emisit spiritum.

P. Martin iudicio sui Superioris habilis sacerdos bonusque religiosus erat, animo festivo aliisque praeclaris dotibus insignitus. Erat bonus apparator, anglice *organizer*. Amabat suam Canadae occidentalis regionem, ita ut P. Vice-Provincialis de eo scribere potuerit: « *He was a hundred per cent Westerner* ». Fere medium partem sacri sui ministerii in terris nondum plane evolutis exercere debuit, qua in condicione positus omnes difficultates et res adversas libenti animo sustinebat. R. I. P.